DISPUTATIO MEDICA

DE

DOLORE COLICO.

QUAM

DEO DANTE

SUB PRÆSIDIO

Nobiliſſimi, Expertiſſimi, Acutiſſimique Viri

D. THEODORI CRAANEN, Phil. ac Med. Doct. hujuſque in Illuſtri Academiâ LUGDUNO-BATAVA Profeſſoris ordinarii, digniſſimi, excellentiſſimi,

Publico examini ſubjicit

MARTIN SCHEPEL, Wiſmarienſis.

Ad Diem 7 Iulii, horâ & loco ſolitis.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDCLXXXIII.

C.3814
28
1185.g.16
28
K.

DISPUTATIO MEDICA

DE

DOLORE COLICO.

THESIS I.

Colicus affectus ſeu *κωλικὴ διάθεσις*, *Definitur*, quod ſit dolor acerbiſſimus inteſtinorum, præcipuè Coli, ortus vel à Flatibus, vel ab Humoribus.

II.

Pars itaque affecta ſunt inteſtina, præcipuè verò inteſtinum Colon.

III.

Cauſa Materialis, aut eſt *Pituita*; quæ per ſe ſola non poteſt do-

[illegible]
que dolorificam illi [illegible] ſivus; Facitque hoc Pituita ratione ſuæ tum *craſſitiei* tum *viſcoſitatis*. Quæ ipſa duo attributa parum habilem reddunt materiam ad vaporis volatilitatem; ſed igitur opus eſt auctam aliquam fermentationem aut in totâ maſſâ ſanguinis humorumque, aut ſaltem intra inteſtina oriri, quæ hanc volatilitatem introducat.

I V.

Aut *materia* dicitur eſſe *Bilis*, id eſt *Sal*, præſertim ſi eſt nonnihil corroſivus. Sed & ille vix ſolet dolores creare; niſi præviâ in poris aut tubulis obſtructione, ortâ per viſcoſitatem. Quæ ſi eſt conjuncta cum Pituita, dicitur *pituita ſalſa*; Si verò viſcoſitas eſt conjuncta cum particulis oleoſis & amaris, vocatur *Bilis*. Solet autem hic *Sal fixus* eſſe, alioquin potuiſſet viſcoſitatem diſſipaſſe. Uti verò Colica à Pituitâ ſimplici; tum & ea quæ eſt à Pituita Salſa, eſt naturæ *Frigidæ*; Sic quæ eſt à Bile ſolet eſſe *Calida*.

V.

Aut *materia* dicitur eſſe *Melancholica*, id eſt *terreſtris*, *acida*, vel etiam *auſtera*; præſertim ſi eſt nonnihil corroſiva; Quo in caſu ſolet obſcuro vocabulo deſignari *atrabilaris*. Eſtque & hæc naturæ frigidæ.

V I.

Quamvis autem pituitam Salſam & Melancholicam facere Colicam Frigidam dixerim, hoc non tam generaliter acceptum velim, ac ſi non & his cauſis poſſit aliquando adeſſe *Calor*, quin *Ardor*; nequaquam; Nam poteſt & his cauſis ſupervenire fortuitò

[illegible] inteſtinorum : quo in caſu hæ cauſæ [illegible] Colicam *Bilioſam*.

VII.

Quemadmodum porrò omni Colicæ *Salina* tàm pituitoſæ quàm bilioſæ adeſt *dolor pungens*; Sic Melancholicæ præſens erit *dolor ſcindens*.

VIII.

Sicque *Cauſa Antecedens* ſeu interna, eſt conſtitutio ſanguinis & conſequenter etiam humorum, per partes ſolidas circulantium, aut pituitoſa; aut ſalina fixa, viſcoſitati innexa; aut craſſities cum acido, vel etiam cum auſtero juncta, verſans intra fiſtulam inteſtinorum; aut in poris tubuliſque membranarum eorum.

IX.

Continens ſeu *Proxima* eſt obſtructio pororum & tubulorum in inteſtinis, quæ impedit quò minus materia fluctuans è latibulis exeat. Hûc referantur Fœces ſæpè induratæ, obturantes fiſtulam inteſtinorum; & aliquando Vermes.

X.

Cauſa Procatarctica, ſeu extrinſecus advenientes, unde poteſt morbus primò produci, ſunt *res Non-naturales*, in Craſſitiem, viſcoſitatem, ſalſedinem, aut aciditatem vergentes. Præcipuè; Cibus & Potus, nec non Alvus adſtricta.

Eſt dolor hic vel *Vagus* vel *Fixus*. Vagus eſt, quando intra inteſtinorum cavitatem materia ſtabulatur. Fixus verò, ſi materia peccans eſt inteſtinorum membranis pertinaciſſimè impacta; ut ita dolores eundem locum ſervent.

XII.

Signa Diagnoſtica, ſi Flatus contineantur in Cavitatibus inteſtinorum, ſunt: (1) Dolor vagus, neque in uno loco conſiſtens. (2) Renovatur per intervalla. Si verò Flatus coerceantur intra Tunicas inteſtinorum, Dolor eſt fixus & continuus.

XIII.

Doloris *Nephritici* ſigna cum doloris *Colici* ſignis tantam habent affinitatem, ut Medici Peritiſſimi ſæpius oberrent in eorum diſtinctione. Diſcernuntur tamen: Dolor Nephriticus in Rene fixus eſt, & ab eo ad Veſicam exporrigitur juxta longitudinem Ureteris; Colicus eſt ut plurimum vagus, & inſtar cinguli affligit medium ventrem. In Colico dolore ab excretionibus per Alvum & Vomitum majus emergit levamen, quàm in Nephritico. In dolore Nephritico Urina ab initio clara & tenuis ac poſtea excernuntur arenulæ vel lapilli. In dolore Colico autem urinæ neque arenoſæ, neque neceſſariò tenues ſunt. Sic quoque Coli quàm Renum eſt acutior dolor.

XIV.

Ab *Hyſtericis* diſtant Colici, (1) quod Hyſterici cum inguinibus & coxis communicentur, ac ſupra has non facilè adſcendant. (2) quod Hyſterici tum ſolum excrucient, quando vel præceſſit Partus; vel inſtant Menſes; aut iidem ſupprimuntur.

XV. Quod

Quod ad *Prognoſin* : periculum eſt, ne ob atroces dolores abeat in Convulſionem, Syncopen & inteſtinorum Inflammationem, nimias Vigilias & Febrem nanciſcatur Comitem, Colica Bilioſa ſæpè terminatur in Paralyſin, præcipuè ſi viſcoſitatem habet comitem. Poteſt etiam accidere ſi adhibeantur intempeſtivè Clyſteres Refrigerantes, aut quantitate aut qualitate peccantes.

X V I.

Indicationes (1) Humorum viſcoſorum & craſſorum attenuatio. (2) Salinorum aut acidorum attemperatio. Ita (3) quoque pori ſimul aperiantur. De Vermium enectione de induſtriâ alibi agendum.

X V I I.

Itaque poteſt *Vena ſecari*, ſi *Plethora* aut *magna Cacochymia* adeſt.

X V I I I.

Injiciatur ſequens Clyſter, ſi peccat *Pituita* aut *acidum*, aut alvus ab auſtero adſtricta.

℞. Rad. Galang.
Calam. Arom. ana ℥j.
Herb. Abſynth.
Carduib. ana Mj.
Menth.
Rut. ana Mß.
Sem. Cumin. ʒij.
Allii ℥ß.
Coq. in ſ. q. lactis, Colat. ℥ix. add.
Aq. Vit. Matth. ℥j.

Caſtor. cum ſp. Vin. extr. ℈j.
Ol. [illegible] ℥iß.
M. F. ſ. a. Clyſter.

Si peccat Sal, addi poteſt Tamarind. ℥iß. Tartar. ʒß. omiſſis Aromaticis ſaleque volatili, [illegible] ſumantur Emollientia vulgaria.

XIX.

Cum ſucceſſu ſæpè ſumtum fuit, in eodem caſu Pituitoſo & Acido, Lac dulce, coctum cum Allio pro Hauſtu; aut in Clyſtere.

X X.

Sacculus loco dolenti poteſt applicari ſeq; in quocunque caſu:

℞. Malvæ Miij.
Flor. Chamom. Mj.
Sem. Cumin. Contus. ℥j.
Salis Com. Mß.
Camph. ʒß.
M. pro Sacculo interpaſtato.

X X I.

Inunctio parùm poteſt. In Caſu tamen neceſſitatis poteſt hoc eſſe; peccante ſive ſale, ſive acido.

℞. Ungu. de Arthanit. ℥j.
Camph. ℈j.
Laud. Opiat. ℈ß.
Ol. Papav. q. ſ.
M. F. Linimentum.

Subinde ſumatur talis *Hauſtus*; in utrovis caſu:

℞. Ol. Amygd. Amar. ℥j.
Camph. gr. vj.
Laud. Op. gr. j, ij.
Syr. de Papav. ʒiij.
Vin. alb. calidioſ. ℥iß.
M. F. Hauſtus.

Aut in caſu Acido:

℞. Vin. alb. gener. ℥iß.
Aq. vit. Matth. ℥ß.
Ol. Amygd. Amar. ℥j.
Laud. Op. gr. j, ij, iij.
Salis mixti ℈j.
Camph. gr. iij, iiij.
Syr. de Papav. ʒij.
Croci gr. vj.
Spirit. Salis Amm. ℈ß.
Conquaſſantur benè & ſtatim fiat *Hauſtus*.

In cereviſiâ bis terve quotidie ſumatur: Sp. Salis, Sulphur. & Nitr. gutt. vj. aut viij.

XXIII.

Si *Purgante* opus *Cholagogo*.
℞. Extr. Rhabarb. ℈j.
Reſin. Scamm. gr. ij, iij, iiij.
F. ſ. a. *Pillula*.

Terreſtria & *Acida* Purgationem non admittunt

Si oportet *Plegmagogum* præſcribi, ſit:

℞. Extr.

Merc. dulc. gr. iiij.
Ol. Carvi q. ſ.
M. F. *Pilula.*

XXIV.

Diuretica proſunt, quatenus multum eliciunt ſalis ex corpore.

XXV.

Sudorifera ſalina, cum opiatis mixta; ſunt maximè efficacia in cauſâ Pituitoſâ & Acidâ atque Terreſtri.

XXVI.

Balnea commendantur ex ſolo Oleo vulgari, aut ex vulgaribus emollientibus.

XXVII.

Unicâ Tincturâ Opii poteſt negotium totum abſolvi.

XXVIII.

In *Victus* ratione: *Aër* ſit temperatus; neque Abdomen nudum. *Cibus* ſit concoctu facilis, & cauſis allegatis adverſus. *Potus* mollis & pinguis. *Quies* prodeſt Animi & Corporis.

I.

Derivatio ſanguinis in Anginâ nulla, neque in Hemicraniâ Revulſio.

II.

Cucurbitularum uſus non magni momenti.

III.

Fonticuli tædioſiores quam utiles.

IV.

Flatus ſemper in corpore ſunt, licet non ſentiantur.

V.

Totum corpus poroſum, & inſtar pertuſi vaſis.

VI. *Mor-*

Mortuæ carnes difficilius ſcinduntur quàm vivæ.

V I I.

Inter Mammas & Vterum nullus conſenſus.

V I I I.

Orificium Ventriculi ſiniſtrum quando dolet, præſtat Topica applicare dorſo quàm anterius.

F I N I S.